ORATIO
AD SERENISSIMVM SIGISMVNDVM III. POLONIÆ ET SVECIÆ REGEM.

Pro felici ex Suecia reditu,

PETRI LILIÆ S. THEOLOGIÆ
Doctoris, Præpositi Sredensis, Canonici Posnaniensis.

Habita Srodæ, Mense Septemb. 1594. in Ecclesia Collegiata Beatissimæ Virginis Dei Genitricis.



POSNANIÆ,
In Officina Typographica Viduæ & Hæredum
IOANNIS WOLRABI.

M. D. XCVII.

3.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO
DOMINO D. HIERONYMO GOSTOMIO PALATINO POSNANIENSI, S.

EA demum vera & perfecta eſt beneuolentia: cui Sacerdotalis benedictio, quam Deus ſummæ felicitatis inſtrumentum eſſe voluit, ceu quoddam fundamentum, ſubſternitur. Itaq; tuus ille, Illuſtris & Magnifice Domine, ſplendidus apparatus, quo tu Srodæ Sereniſs. Sigiſmundum III. Regem Poloniæ, vnà cum Sereniſsima Regina, coniuge ſua, & Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Germanico Marchione, Sedis Apoſtolicæ Nuncio, liberaliſsime excepiſti, celebrem illam & ſacrarum literarũ monumentis nobilitatam Regis Aſſueri pompam, longe multumq; ſuperauit. Nam, vt mittam alia, illud Regis Aſſueri conuiuium, Dei & Sacerdotum gratulatione caruit; tuum cum Ieſu Chriſti Sacerdotum, & Sanctorum eius Fauore & applauſu coniunctum fuit. Tu enim ipſe, vt Sereniſs. Regem, vnà cum Canonicis Sredenſibus fratribus meis, in Eccleſia Beatiſsimæ Virginis Mariæ exciperem, me es adhortatus. Excepi igitur hac, quam vides, oratione. Cur enim id factum eſſe non dicetur, quod cur factum non ſit, non noſtra; ſed aliorum accidit voluntate? Vale, Illuſtris & Magnifice Domine, & Patrone colendiſsime.

Poſnaniæ, in feſto Cathedræ S. Petri Antiochiæ, anno Dom. 1597.

ORATIO
Ad Serenis. Sigismundum III. Poloniæ & Succiæ Regem.
Pro felici ex Succia reditu
Petri Liliæ S. Theol. Doctô. Præp. Sreden. Canonici Posnaniensis.

VNiuersum Regnum Poloniæ, Sigismunde Rex Ser^me, ob tuum felicem & ardentibus omnium bonorum votis optatum ex Succia reditum, maxima afficitur voluptate, lætitiaq; exultat incredibili. Magnum profectò hoc est argumentum singularis cuiusdam felicitatis tuæ, diuinæq; gratiæ. Neq; enim tot tantorumq; hominum, in maximam lætitiam & gratulationem conspiratio, sine Dei numine extare potuit. At certè illud multò maius est, longeq; ad tuam dignitatem & amplitudinem augustius, quòd non tantùm Senatus P. Q. P. sed etiam Antistitum Præsulumq; ordo amplissimus, corona Sacerdotum, cœtus religiosorum, non solùm in prophanis; sed etiam in sacris locis; non modò in

foro; sed etiam in templo; non in frequentia
tantum conuentuq; hominum; sed etiam in
Dei Opt. Max, Sanctissimæ Mariæ Virginis
genitricis Dei, sanctorumq; omnium conspe-
ctu: deniq; ad illud nouæ legis venerandum
tremendumq; altare, diuinis & admirandis ar-
canis mysterijsq; plenum, maximisq; pigno-
ribus cœlestiũ donorũ, ex IESV CHRISTI,
DEI & Seruatoris nostri meritis vndequaq;
circumfluens, atq; redundans, tibi, Serenissime
Rex & optime, de tuo, felicissimo aduentu
gratulatur: nosq; hæc exigua Sacerdotum, hu-
ius Sredensis Eccl. cohors, vna cum illis gratu-
lamur; teq; ceu numen quoddam diuinum, ad
templum hoc Beatissimæ Virginis Mariæ ve-
nisse, maxima & cœlesti quadam incensi vo-
luptate, gaudemus & vehementer lætamur;
atq; vultu, gestu, voce, cantu, & habitu hoc,
cultuq; sacris rebus destinato, diuini honoris
potestatisq; partem, ex clementiæ Dei fonti-
bus, ad te deriuari docemus & demonstramus.
Demonstramus autem, nemine repugnante, &

assentien-

assentientibus omnibus. Inprimis autem assentiente, hancq; nostram de tua S. Maiestate Regia sententiã approbante Illmo & Reuer^{mo} Germanico Marchione, Episcopo S. Seueri; quem Beatiss. Pater Clemens VIII. ad sedandas huius turbulentissimi temporis tempestates, motusq; componendos, non humano; sed diuino cõsilio, ad te Regnumq; hoc tuũ, Nuncium Apostolicum misit; & quem tu Sanctissimorum Regum & Imperatorum exemplum imitatus, in rebus fidei Pastorem; in diuinis consilijs & arcanis Prophetam; in moderando vitæ cursu Doctorem; in precibus, pro te ad Deum fundendis, Moisen; in superandis periculis Angelum, tibi a Deo missum, datumq; esse pro insigni tua pietate & sapientia certo apud te persuasum constitutumq; habes.
Huius igitur tantiq; viri, idem est, Serenissime Rex, de tua diuina felicitate & Maiestate sensus: qui est sapientum & proborum omnium: & quem nos, pectoribus nostris inclusum, hac nostra gratulatione exprimere;

atque vultu hilari, læto animo, & clarissima voce, in lucem aspectumque omnium proferre nitimur & contendimus. In quo magnum discrimen cernitur, inter Sacerdotes IESV CHRISTI, & eas oēuāgelij ministros. Jlli enim Spiritu Vertiginis acti & Core, Dathan & Abiron, homines sceleratos & impios secuti, vt S. Apostoli Iudæ verbis vtar, dominationem spernunt, Maiestatem blasphemant; ac proinde te Rex Serenissime, vt alios Reges & Principes, in vulgarem numerum redigunt: nihil in te agnoscētes diuinum, nihil excellens, nihil singulare. At contrà Pontificum Sacerdotumq; ordo amplissimus: nosq; cum illis, licet humiles; serui tamen Dei & Sacerdotes IESV CHRISTI, Prophetarū & Apostolorum doctrina præceptisq; instituti; & Melchisedechi Regis Salem & Sacerdotis, ipsius D. Pauli Apostoli sententia, sanctissimi, in tribuendo tibi, Serenissime Rex, honore, pro nostra tenuitate, vestigia persequi nitimur: tibiq; præter gratiam omnibus seruis

 & electis

& electis Dei communem, singulare quoddam, ex regio munere diuinitatis decus, adiunctum esse profitemur: a quo propulsatis hostibus, extinctis ciuilibus odijs, oppressis domesticorum iniurijs, reiectis periculis & impedimentis, non in Reipub. solum Politia, sed etiam in Ecclesia Iesu Christi, optatæ pacis & tranquillitatis bona, ceu quoddam vberrimo fote, dimanant. Magnum decus, magna dignitas, magna maiestas. Non capiunt hanc angustiæ pectoris: non egestas animi, maiestatem tantam, tam amplam, tam sacram, tam diuinam. Vt enim vas exiguum implenti maris fluctus in se non continebit; ita hæc Regia Maiestas, ab exigui pectoris, & summis virtutibus orbati angustijs, coerceri & comprehendi nullo pacto potest. Nec cœlū Sardanapali molli brachio, sed Athlātis firmissimis humeris sustineri potuit. Nō potuit & Saul primus Rex Israelis tantæ dignitatis pondus sustinere: non potuit & Roboam sapientis patris, filius insipientissimus. Hic enim ob temeritatē & crudelem

animum

animum in suos, à media parte regni protinus excidit: ille ob elatam mentē & impietatem toto regno exutus; vitaq; ipsa turpissimè est priuatus. At potuit sustinere tantam maiestatem Regiæ dignitatis, Dauid humillimus, Rex & Propheta celeberrimus, maximum Regni Israelitici decus; potuit & Salomon sapientissimus, cuius regnum singularis sapientia & pietas, omnium regum imperio terminauit; potuit Gedeon fortissimus; qui diuina virtute fretus, tantumq; trecentis viris stipatus, ingentem exercitum Madianitarum & Amalechitarum fudit, profligauit, intercmit; potuit ad extremum, vt alios multos prætercam, Iosue Dux pijssimus; qui cum, quinq; Reges Amorrhæorum eorumque præsidia plurima & maxima magna internecione deleret, Solem occumbentem nutu & imperio suo cohibuit; & contra rationem naturam volubilem & mobilē, vnius diei spacio immobilem effecit; Quo admirando stupendoq; Dei auxilio docuit Iosue Reges, hanc incredibilem virtutem

numinis & diui-

& diuinitatem quandam, & pietate Christiana & humilitate è Dei sedibus seuocari, & in Regia dignitatē collocari, & eadem pietate & humilitate Christiana conseruari, & nouis accessionibus augeri & amplificari. Ergo cum Reges Christiani ob illam sacram vnctionem non minori Dei gratia augeantur, quam ea fuit, quæ in Ducibus & Regibus populi Israëlitici eluxit: quòd his perturbatis temporibus non fortiter hostibus resistant: quòd non ea felicitate, qua Dauid contra Goliat, Gedeon contra Madianitas, Iosue contra Amorrhæos pugnauit, cum Scytis & Turcis dimicent: quod deniq; non eas Angelorum copias, quas Eliseus Propheta, Regi Israëlis cum potentissimo hoste pugnanti monstrauit, sibi in auxilium cœlitùs esse missas conspiciant: non Regiæ dignitati est tribuendum: quæ semper eadem est, semper sibi cohæret, semper ampla, excellens & diuina in se existit; sed in oscitantem & remissum (vt leuissime dicam) in tuendo officio Pastorum animum; in Cleri negli-

 gentias

gentias in blasphemias hæreticorum, in scelera principum, nobilitatis superbiam, militum rapinas, ciuium luxum, iudicum iniquitatem, oppresionem pupillorum, depopulationem templorum, expilationem Sacerdotiorum est referendum. Ex quo, Serenissime Rex, maior nobis & tibi gratulandi & nobis gaudendi exoritur ratio: cum te in istam sublimem dignitatem euectum, & ad gubernacula regni huius nobilissimi collocatum, illud sapientis identidem memoria repetere cogitamus: QVO ALTIOR ES, EO TE MAGIS HVMILIA: cum te à Saulis superbia & à Roboë crudelitate vehementer abhorrere cernimus: cum te in Dei amplificandam gloriam, & eius sponsæ Ecclesiæ restaurandas ruinas diuina charitate & Zelo exardescere conspicimus: cum in tua S. M. Regia non magis externum nitorem & pompam, quæ vulgarium hominum oculos perstringit, quàm illum diuinnm splendorem, integræ illibatæq; fidei, profundæ humilitatis, magni excelsiq; animi, iustitiæ, pietatis cæterarumq; virtutum, quæ Deum ipsum in

sui con-

ſui conuertunt admirationem, in te Ser^{mo} Rex, & in tua Ser^{ma} Regina, Auſtriæ gemma & Iagellonicæ ſtirpis noſtroq; omnium maximo ſolatio, elucere nitemur. Atq; his quidem virtutibus cum illa cœleſtia & admiranda præſidia parari ſoleant, ad regna defendenda & illuſtranda, iure profectò optimo, te in hoc feliciſsimo ex Suecia reditu ſalutamus. Regem inclitũ, patriæ decus, inſigne nobilitatis, coronam gentis Sueticæ, ornamentum ſtirpis Iagellonicæ, ſplendorem dignitatis atq; amplitudinis: deniq; magno conſilio iudicioq; in hac perturbatione rerum ex Turcia & Tartarorũ indomitæ gentis & immaniſsimæ impendente crudelitate & rabie, te decernimus Regni huius, & Eccleſiæ ſponſæ IESV CHRISTI propugnaculum, gloriæ Dei præſidium, militiæ robur; hoſtium terrorem, ciuium ſolatium & optatæ pacis & tranquillitatis firmamentum. Atq; hęc eſt noſtræ gratulationis ſumma.

Et quoniam in maxima lætitia, Sanctus Rex & Propheta Dauid, Sponſam Chriſti Eccleſiã

 ſilentio

silentio præterire insigne scelus esse statuit graui eluendum pœna; SI, inquit, NON PROPOSVERO HIERVSALEM IN PRINCIPIO LÆTITIÆ, ADHÆREAT LINGVA MEA FAVCIBVS MEIS: SI NON MEMINERO TVI: SI OBLITVS FVERO TVI HIERVSALEM, OBLIVIONI DETVR DEXTERA MEA, eam ob rem non in postrema lætitiæ gratulationisq; parte, huius nostræ Ecclesiæ seruorumq; eius, Christi Sacerdotum, memoria ponenda est. In quo tua ista Ser^me Rex, insignis in Deum pietas minuit orationem meam. Neq; enim te nunc in studium amplificandę Dei laudis mea cohortatione incitabo. Satis enim mihi persuadeo, te, Ser^me Rex, illo diuino igne, qui tuum nobile pectus ardentissimo Iesu Christi amore adurit atq; inflammat, ad omnem Dei perficiendam voluntatem vehementer commoueri. Sed cum ad alias Ecclesias, in pristinum splendorem & libertatem vindicandas, animum conuertis, nostram etiam Ecclesiam, nosq; eius Sacerdotes, Iesu Christi minimos

seruos,

ſeruos, tua quoq; iſta diuina clementia complecti velis. Quod vt facias à te humillimè & maximopere poſtulamus. Nos verò Ser^me^ Rex, pro tua, & Ser^ma^ Reginæ coniugis tuæ incolumitate, preces ad Deum fundere non intermittemus: ac pro ea ſingulari & diuina tibi obtinenda gratia, qua in amplificanda IESV CHRISTI laude & in regno hoc tuendo conſeruandoq; præſtantiſsimorum & ſanctiſsimorum Regum gloriam exæquare poſsis, aſsiduè ad Deum Opt. Max. vota faciemus. Dixi.

* † *

*

LAVS DEO ET B^mæ^ VIRGINI MARIAE.

PSAL. XLIII.

IN TE INIMICOS NOSTROS VENTILABIMVS CORNV, ET IN NOMINE TVO SPERNEMVS INSVRGENTES IN NOBIS.

NON ENIM IN ARCV MEO SPERABO, ET GLADIVS MEVS NON SALVABIT ME.